

I. N. S. S. T.

THESES PHILOSOPHICÆ,

Qvas,

*Divina afulgente gratia,**Ex decreto Amplissimi ad Auram Senatus
Academici,**publice ventilandas sistes*

JOHANNES WALLENIUS


*Adj. Theol. ibidem Facult.**Respondente*

JOHANNES KRÄFTMÄN

*Eorgo: Nyland.*Loco horisque diei 12. April. con-
suetis, A:o MDCCXXXV.

A B O F,

Excud. Joh. Kiämpe R. Acad. Typ.



Thes. I.

Quamvis cognitionem philosophicam, nobiliorem esse cognitione historica, ambabus sit concedendum; *banc* tamen *illius* esse fundamentum, adeoque ad *illam* aspiranti *banc* minime esse negligendam, nemo facile negabit, qui experientia edoctus, experientiae dignitatem ac utilitatem recte aestimaverit.

Thes. II.

Si universale aliquod primumque, ex quo reliquae omnes deriventur veritates, constituendum sit

2
sit principium; illud certe Aristotelicum; *impossibile est idem simul esse & non esse*, a plerisque receptum, ceteris passim venditatis facile palmam præripere, asserere nullus dubitaverim: utpote & cui *generales* primi principii characteres optime conveniant & hoc singulare comperat, quod sit indemonstrabile: si modo observetur, non *immediate* omnes inde demonstrari veritates, sed constitutis ex eo specialibus disciplinarum principiis.

Thef. III.

Pincipium *rationis sufficientis*, utut in cognitione nostra, non tam aliis a se derivandis veritatibus, quam illarum potius fundamento & causæ indicandæ interserviat; juxta *principium* tamen *contradictionis*, sua dignum esse commendatione, si ultra limites a Deo & natura, rationi huma-

nae

3
nae constitutos, non extendatur, nemo facile negaverit.

Thef. IV.

Controversiam de *essentiarum* origine, quam alii ad intellectum Divinum, *antecedenter* ad voluntatem ejus, alii ad voluntatem seu beneplacitum Divinum referunt, quamvis ob infinitatem Divinam nec non intellectus nostri angustiam, arduum sit dirimere; pro modulo rationis humanæ tamen, circa Deum resque Divinas occupatæ, optime videtur mihi illa illustrari posse, si facta distinctione inter voluntatem Dei *absolutam & liberam*, statuatur, essentias rerum contingentium ex ipsius essentiæ perfectionumque Divinarum contemplatione, hoc pacto fluere; quod Deus essentiam suam perfectionesque illimitatas necessario cognoscens, essentias rerum utut li-
bere

4
bere producendarum; nec aliter
voluerit nec potuerit concipere,
quam pro repræsentata sibi ab æ-
terno illarum possibilitate. Hoc
namq; modo independentia essen-
tiarum, ex necessitate earum forte
illata, optime diluitur, & origo
essentiarum, ad intellectum Di-
vinum, quem non potest non
sequi voluntas absoluta seu natura-
lis, antecedenter ad voluntatem e-
jus liberam, refertur.

Thef. V.

DUbi valde videtur, num
adæquata omnium possibi-
lium & actualium, uno & simul-
taneo actu repræsentatio, conce-
ptum de Deo primum constituat
seu essentiam ejus absolvat; cum
ad solum intellectum Divinum re-
stricta notio, nec necessaria exi-
stendi rationi & independentiæ,
nec omnipotentia & libere ope-
randi virtuti demonstrandæ vide-
atur apta.

Thef.

Thef. VI.

QUæmadmodum usus *Logica*
in intellectus ad cognoscen-
dam veritatem directione con-
spicitur; ita notiones generales
ortaque ex iis principia, cogni-
tioni veritatum singularium inter-
vientia, quæ suppeditat *Meta-
physica* vel *Ontologia*, præstantiam
ejus non parum commendant.

Thef. VII.

QUAMVIS inter plures modos
demonstrandi existentiam
Dei, argumentum a contingentia
rerum petitur, egregium satis
fit; non tamen illud solum, præ-
reliquis, ad convincendos atheos,
firmum esse existimaverim;
quum illud a finibus rerum, in
principio rationis sufficientis fun-
datis, desumptum, non minori
gaudeat robore.

Thef. VIII.

Licet ex intima eorum, quæ in-
tra

tra nos fiunt conscientia, de existentia animæ nostræ, ceu substantiæ spiritualis, convicti redamur; inde tamen non sequitur, animã nostram corpore esse notio-riorem; cum notio *spiritus* cognitionem nostram de anima, intra angustos nimis compellat limites; quippe quod cogitatio, utpote causam agentem supponens, primum duntaxat ejus attributum sit habendum.

Thef. IX.

INter cetera quæ ineptitudinem materiæ ad cogitandum evincunt, non minimi est momenti argumentum a natura *reflexionis*, quæ actu salte *primo* inest omni cogitanti; itemque materiæ in indefinitum divisibilitate, deductum: in subiecto enim tam multiplici & indefinitis partibus composito, nulla dari potest cogitationis & cogitantis unitas.

Thef. X.

MUtuum actionum passionum-
que

que animæ & corporis, experientia teste commercium, quod variis occasionem dedit systematibus, optime eos explicare putaverim, qui rejecto systemate *causarum occasionalium*, nec facile admissio *harmonie preestabite*, *systema* quidem *influxus*, utpote in quo luculenta non deprehenditur *contradictio* tuentur & ita emolliunt, ut ingenue fateantur se modum ultimum ignorare, quo, in statu unionis anima & corpus in se invicem agant & a se invicem patiantur; rationem mutue istius dependentiæ quadantenus *evolvunt*, minime vero *solus* definire audeant.

Thef. XI.

QVI, rejecta *Scholasticorum* aliorumque de *moralitate objectiva*, etiamsi supponatur Deum non existere, periculosa sententia, illam a lege vel voluntate divina derivant, sanctitatem & justitiam divinam non excludunt; sed

sed illius æque ac voluntatis effectum esse contendunt: cum voluntas Divina, ob attributorum Divinorum amicissimam conspirationem, sanctitati & justitiæ ejus nunquam sit opponenda. Unde non negligendam duco distinctionem, inter *fundamentum moralitatis a parte Dei*, quod est objecti natura, ad justitiam & sanctitatem Divinam finemque hominis relata, & a *parte hominum*, quod est voluntas Divina, per legem naturæ manifestata. A qua non multum abludit distinctio inter principium moralitatis *radicale & manifestativum*.

Thef. XII.

AD subruenda systemata Atheistica, lubrico admodum fundamento, æternæ putæ materiæ existentia superstructa, validissimam subministrat argumentum ipsa natura ac indoles materiæ

9
riæ; a qua necessariam existendi rationem, ope experientia, sana removet ratio.

Thef. XII.

QUAMVIS effectus atque operationes corporum naturalium absque motu non fieri, res ipsa loquatur, unde doctrina de *motu ejusque principio*, philosopho phænomena naturæ explicaturo, ejusque adyta reclusuro, quam maxime est necessaria; quum tamen tot, inter eruditos, hoc in puncto sint sententiarum diverticula, quorum quædam ad solam materiam ejusque dispositionem & figuram, quædam ad Deum tanquam causam motus unicam, quædam ad peculiarem *Archæum*, quædam ad vim materiæ motricem ducunt; prudentissime illos incedere arbitror, qui in re tam ardua, vel judicium prorsus suspendere, vel probabilitatem tantum admittere
ma.

malunt, quam temerario nimis
aufu certi quid definire.

XIV.

AMbigua nimis mihi videtur
thesis: si vel minimum, quod
in mundo contingit malum, deficeret,
non amplius eundem fore mundum,
qui omnibus circum-spectis, esse opti-
mus, a sapientissimo creatore, qui
eum elegit, est iudicatus, vid. Leibn.
Theod. P. 1 § 9. Nam si suppona-
tur, permissionem mali actualis
in mundo moraliter esse necessari-
am, ex hoc puncto quod in mun-
do, in suo genere perfectissimo, omnia
sint determinata, & in determinatio-
nibus illis impeditio actualis mali non
contineatur, quo pacto impeditio mali
inferret productionē vel nullius mundi,
vel imperfectioris eo, qui actu produ-
ctus est, & proinde aliquid quod est
contra voluntatem & sapientiam ab-
solute perfectissimam, adeoque con-

tra

tra justitiam a solute perfectissimam
Entis infiniti, conf. Hanschii Theo-
rem. Methaph. theor. XXXII. Sup-
ponendum etiam est, determina-
tionem subiecti liberi ad malum,
in determinationibus illis, seu in
serie illa rerum fuisse. Cum au-
tem determinatio ad malum, sal-
tem ordine naturæ, ut prius quid
permissione est concipienda,
& tamen sit e numero contin-
gentium, adeo ut potuerit non
fieri, consequens est & determi-
nationem ad malum & permis-
sionem ejus, ex accidenti, optimo
mundo adhærere, adeoque defi-
ciente malo, mundum nihilomi-
nus fuisse optimum, cf. Gen. 1. 31.
& meo quidem iudicio, præsen-
ti meliorem; in quantum me-
lius est censendum, in quo plus
est realitatis; plus autem fuisset
realitatis in mundo, posita possi-
bilitate duntaxat mali, utpote in
limi-

limitata rerum creaturarum essentia *remoto* solum fundata, quam actuali ejus existentia. Si autem quis ex eo, quod Deus, ut infinite sapiens, adeoque non nisi optimum eligens, hunc tamen mundum, in quo tot prævidit mala futura, condiderit, inferre velit, præsentem, in quo tot mala intercurrunt, esse optimum, is quæ rem ipsam non fallitur; modum autem scrutaturus non advertit, ad sapientiæ Divinæ βέβαιον infinitum dimetiendum, decempedam rationis humanæ nerantillum quidem sufficere. Proinde ad philosophi Christiani officium magis pertinere arbitror, ea quæ fecit Deus submissa animi veneratione admirari, quam quare? quid potuerit, quid non? curiose nimis rimari. Si tamen mundum præsentem optimum esse, inde quis voluerit inferre, quod

quod Deus ex malis actualibus infinita elicuerit bona, quibus in hoc mundo fruimur, quæ videtur esse sententia *Leibnitii*, asserentis, Christum θεῶν θεωνον optimæ rerum seriei eligendæ, maximam fuisse rationem, *caussæ Dei assert.* §. 49. suo illum abundare sensu non invideo.

Thes. XV.

Determinationem seu seriem rerum contingentium, quarum una per alteram determinatur, eo sensu esse admittendam censeo, ut evitata omni fatalitate in actionibus humanis, libera semper sit determinatio.

Thes. XVI.

Dogmata *Monarchomachorum* dum non solum ut absurda, sed etiam ut perniciofa rejiciuntur; tantum abest incrustetur *Machiavellismus*, ut potius exspirare per tyrannidem statum civilem sta-

statuique naturali & belli locum
fieri, concedatur. Quo ipso et
iam bellum punitivum, ut conce-
ptus mere Chimæricus rejicitur

Theſ. XVII.

Quantumvis objectis differant
physis & *mathesis*; hujus ta-
men in illa, varium ac multipli-
cem esse usum, nemo unquam
negabit.

